Banaszewic Adami Casimiri: Bellerophon sic innocentiae academico Pegaso invehens —

# BELLEROPHON
## Vir innocentiæ,
ACADEMICO PEGASO INSIDENS,
Contra Othomanicam Chimæram procedens:

# B. IOANNES CANTIVS

Confessor: Regni Poloniæ Patronus:
Almæ Vniversitatis Cracoviensis Patriarcha, & Sacræ Theologiæ Doctor:
recurrente eius Solennitatis die, 19. Octob:
Anno Domini 1690.

## Becijs, ad Ecclesiam Parochialem
SS. CORPORIS CHRISTI,
& SS. Apostolorum PETRI & PAVLI:
*In Nobilissima hospitum corona*
DEMONSTRATVS.
Debitæqvè pietatis, & cultûs devotissimi ergò,
Luci publicæ expositus:

*A*

M. ADAMO CASIMIRO BANASZEWIC,
*In eadem Vniversitate Cracov: Philosophiæ Doctore, Sacrâ Authoritate Apostolicâ Notario: protunc Gymnasij Becensis Directore.*

Anno Domini 1691.



CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. & Reverend. Dni. Episc. Cracovien, Ducis Severiæ. Necnon Schol. Novodvorsc. Typogr.

# In Stemma Illustrissimæ MĘCZYNIANÆ PROSAPIÆ.





Cur ROSA non terret ſpinis pungentibus iſta?
Pungere non ambit, ſed recreare cupit.
Qvem capit eius odor? vel qvis feſtinat ad illum?
Virtutis comites, Purpura, Mitra, Toga.

*ANTONIVS ROGVLSKI.*
*Alumnus Becenſis.*

A D
Magnificum, & Generoſum Dominum:

# D. STEPHANVM
DE KVROZWEKI

# MECZYNSKI

Contributionum Agrariarum, & Fumalium in Becenſi Diſtrictu,
MERITISSIMVM THESAVRARIVM:
DOMINVM, & BENEFACTOREM.

*TRiumphalia conſumati certaminis, & militiæ, ſuper terram in æternitatem celebrans, novus Chimæræ debellator, Heros Virtutum, Academico Pegaſo inſidens, alter Bellerophon D.* IOANNES CANTIVS, *non ſatis habens, Iagellonianis Laureis, ipſiſq; cæleſtibus adoreis eminere; etiam Roſâ Tuâ fragrantiſſimâ coronari, illâq; redimitus, in lucem prodire vltro ambit M: D. Facit hoc, vt palam orbi oſtendat, Reginam hanc florum, Tuam verò Gentilitiam, ſanctis quoq; Frontibus in coronam cedere poſſe. Non enim eſt hæc vulgaris aliqua, hortorum, camporumq;; ſed vaticani horti, quaſi alterius Paradyſi ante maledictionem terræ plantata; quæ ſpinis carens, nunquam moritura, ſemel, inter immarceſcibiles Romæ Laurus nata, ſævâ hyeme nullis ſubiecta fatis, flore, odoreq; ætates, non æſtates vincens, ſemper immortalis, pariter tranſplantata, in Regno noſtro, eiuſdem Viroris, Vigoriſq; bene ſanguine Martyrij vegetata, humectaaq; nunquam amittit florem, potiſſimùm in vobis. qualem enim accepiſtis; talem huċuſq; conſervatis: ſi immortalem; Viret huċuſq; meritis Veſtris: Si candidam, nec Vos mutaviſtis colorem. quam ſanguine S. Adalbertus, (quo ſtollam) lavit, tinxit: hanc Albertus Veſter Meczynius iterum tincturam pari colore renovavit, pro fide Chriſti Martyr: effecitq; vt iam non ſolis lilijs, ſed etiam Roſis cæleſtis ille Agnus paſceretur. Atq; vos vel maximè ſoli* Mecinij, *ſoli* Roſini, Poraiq; *dici meruiſtis; qui primum ueſtrum Anteſignanum, non orphano titulo, ſed opere ipſo ſecuti eſtis. vnde Veſtra Roſa etiam decerpta ſervavit, & ſeruat odorem, (vt alios prætereàm)* in Illuſtriſsimis, & Magnificis *Patruis Tuis,* Alberto Meczynski *Succamerario Vielunenſi, Capitaneo Laycenſi;* Ioanne *Caſtellano Syradienſi, Capitaneo Radomienſi, vtriſq; optimis Patriæ Ciuibus; qui etiamſi expirauerint; tamen more Roſarum, immortalibus meritis ſpirant. Viuitq;* Albertus *in Filijs ſuis,* Illuſtri ac Magnifico Caſimiro *Capitaneo:* Ioanne *Vexillifero Velunenſibus; quorum odor: quaſi odor agri pleni eſt, cui benedixit Dominus; in cuius ſuauitatem,*

tem, currunt honores, currit fortuna, eminentiæ, census vltro se offerunt. Fragrantiâ eorum, Comitia, Areopagi Iustitiæ, Curiæ Nuntiorum Equestrium, ipsumq; modernum Leopoliensis Commissionis Tribunal, vel maximè in Magnifico Casimiro delectatur, recreaturq;. Sed nec Tua Rosæ huius degener rubus; qui Stephanus ex Nomine, cùm corona sis, verè in sertum Bellonæ: Marti in corollam cessisti; Vir imperterriti animi etiam illius horrendi, Borealis Leonis rugitum, ad quem totus Polonus orbis contremuerat, in omni expeditione, ductu Magni Herois Wielopolscij, minimè expauescens; cùm antea quoque fuisses in rebellem Cosacorum gentem inuincibili animi magnitudine, ad mille pericula promptus, pro integritate Patriæ vitam dare paratus. Probauit Te Moschouiticus Mars, plenumq; dexteritatis adhuc Tyronem militiæ, ad Grodek: cùm vidit maturiorem posthac ad Cudnow in illo cruento conflictu, prodigum sanguinis; Te tanquam suum, grandi vulnere, in culmine capitis notavit, vt culmina qvæqve honorum, de Republica bene meritus scanderes; nisi gloriosius, honore dignus iudicari eligeres, Virtutiq; & meritis Tuis vltro se offerentem fortunam, magis expectares, quàm quæreres. Ad quasvis fermè occasiones, pro aris, focisq; plumbea tela, plumea Tibi fuerunt: & in hoc tantùm ferrea, vt ad siliceum pectus Tuum allisa, triumphales flammas elicerent. Prætereo hic Magnificum Illum Albertum Germanum Fratrem, Pocillatorem Chelmensem; quem melius eadem prælia, maximè verò Berestecensis conflictus loquitur. Erubesco hic inculto ore cultissimum Magnificum, ac Generosum Paulum alterum Fratrem, S. R. M. Tribunum attingere: est enim hic magnæ Virtutis, & meritorum, dextrâ olim Achilles, nunc eloquio Cyneas, ex vtroq; Reip: prodesse par; quam vt eliberaret, ipse ordinatus ad regimen militaris, præsidij, ad Wysutka obsidione othomanicâ circumdari maluit; ibidem acutissimâ per medium sagittâ (vt viuat Patria) amans Patriæ Filius transfixus. Nunc verò domi consiliorum oraculum, omnis scientiæ capacissimum depositum, etiam literatissimos Athletas æmulari sufficiens, in animis omnium triumphat. prorsus plantatio Rosa Tua, quasi plantatio Rosæ in Iericho. Probant hoc pro complemento, Vestri de Kurozweki Dobieslai, orbis Poloni Athlantes, nec sub mole eius succumbentes. Probant Illustrissimæ Iordanovianæ, Korycienscianæ, Warszycianæ, Tomicianæ, Sczavinscianæ, Dabscianæ, Gniewoszowianæ, aliaq; Principes huius regni Prosapiæ; quæ odore vestræ Rosæ allectæ, illectæq; consanguinei thori Vinculis coniungi curaverunt. Probant Diui cælites, quos consanguineos in Albertis habes: quorum socius D. IOAN: CANTIVS novus Bellerophon, in odorem illius accurrit. quem quòd grato animo admittes, non iam de sybilla, sed Rosa Tua folijs auguror, hanc gratitudinem recompensabit in Filijs Tuis, institutioni Palladis Iagellonicæ destinatis. Illo ergo favente germina hæc Tua, Vberem fructum dabunt: Filij Tui sicut Novellæ, iam non olivarum, sed Rosarum addent odorem odori quorum & ego cùm me Præceptorem agnosco: totum me in Illustrissimi sangvinis, & Nominis Tui, profundæ venerationis, authoramentum consigno.

M. Adamus Banaszewic Philosop: Doct: Director Becensis.

# ORATIO

Liberam hanc, intra cuius ambitum, vivimus, gentem, ex libertatis genio, servitij insolentem, alieni iuris impatientem, suis legibus uivere, cardinibus stare, aureaque eius priuilegia, necdum in ferreum canonem cessisse, iustè miror; dum tot retroferreis annis, immansveta bella, stupendam, & inexplicabilem, illorum compagem, pariqve fatorum inclementiâ, in nos, devolutam, aliorum ex alijs, renascentium remeantiumque vertiginem, finem Vnius mali, mox gradum futuri, expendo, recogitoq; O. A. Ab avis, atavisque, per tam grande, non mortalis ævi spatium, sed Vastissimis qvibusvis euertendis imperijs, sat longum, veluti Soli Marti, Bellonæqve devoti, malisqve omnibus, non hominum, sed Regnorum, Rerumpublicarumqve vitalem Spiritum, enecantibus, addicti, perpetuò, in sanguine natamus. Quid est respirare à bello? quid pace florere? nescit nostrum lamentabile Regnum; semper sagati, nunquam Togati, sævæ armorum voluptati, furoriqve Martio, continuò lustra, terimus. Alijs, famâ, modò bellum auditur, concesseruntq; superi, tragædiam spectare: nos semper, in theatro Bellonæ, cruentas scenas, cladibus innutriti Actores, expedimus. Nunquam nobis, securò in specula hac Christianitatis excubantibus, dormire licet, confines æmulationi, ceu littus, insanientis pelagi æstu, ferimur, auferimur, absorbemur.

*Nunc gelidus, siccâ, Boreas bacchatur, ab Arcto;*
*Nunc Notus, aduersâ, prælia, fronte gerit:*

Vndique fremunt immani murmure venti. Sensimus has iniuri-

iniurias: nec ſpes, nobis certa ſalutis erat: quoties ille, rebellis Provinciæ turbo, non ſimplicis decoctionis, detonuit, pacataſque res Patriæ, in chaos, vt miſceret, erupit, peſſimamque ludibrio calamitatem auxit! quoties ille à gelidiſſimo axe perſonauit fragor, dum ignara Moſchorum gens, quantum iuris ad ſervum Dominus habeat, pro fæce rebellium, vel quauis iniuſta, belli cupiditate, claſſicum occinit! Ominoſa illa à Septemtrione tempeſtas, magno, ſpei tumore, concitata: quanta, in viſceribus noſtris, acroceraunia, quantos ſcopulos fecit! ad quos, concuſſi navigij noſtri Rector, in incerto fuit: quid fugiat, petatque dubius (ambiguis enim ſtupet ars ipſa malis) noſque omnes, Baltici illius Neptuni, Vorticibus circumacti, propeque abſorpti, nullius fortunæ noſtræ, Vix liberi animi poſſeſſores, omnia in aliena poteſtate, vidimus. Vt omnes, latorum tabulæ, ferirentur, ab vndis, animaſque noſtras, opprimerent fluctus; nempe vt, tot hoſtes, quot finitimos haberemus, etiam Tranſiluanicis Furijs, crudelique illarum motori, & authori, ad latrocinia, ad odium, ad contemptum, imbelli populo, gens audaciæ, & fortitudinis, tam robore dextræ, quàm animi magnitudine, aliarum facilè Princeps, patuimus. Quid cognatæ acies, amica, collata ſigna, bellum illud, ſine hoſte, cui decernere nemo, triumphum poterat, ô quàm intùs damna pudenda fecit! Quid ille ſceleratiſſimus, gentium latro deprædatorque; qui primus omnium, Satietate famem parauit, cogeruntque illum diuitiæ eſurire? immanis ille orientis Draco, ô quàm beſtiæ huius, Podolia ſtrages, Vkraina buſtum, Ruſſia præda furentis, primaque caſtra, vixque Tyranni non offa? Quid ſcythæ nati è ſcopulis, nutriti lacte ferino, gens eâdem Velocitate, & fugiens & perſequens, Dij boni! quas dolendas prædas exercent: nihil, contra ipſos, arma noſtra proficiunt: nec pacem ferunt, nec quod ſuum eſt, illis impedientibus, recuperant. Ardet Ilium, incenſaq; Danai dominantur in Vrbe, ſpectare tantùm Troianis, non defendere licet. Exitialis equi, laxat clauſtra, doloſus Camenecenſis Sinon, in perniciem Sarmaticæ Troiæ, armatos Stenellos

nellos

nellos, Tysandrosque, de fatali illa Machina fundit, panditq;
læti illi, quotannis, cauo se robore promunt: insperati Vici-
na invadunt, ferro, flammâque tecta, delubra, templa Va-
stant: bona, fortunasque diripiunt: amicos, propinquos, con-
sanguineos, liberos, coniuges, tanquam armenta, amplius
paternis laribus non reditura, pellunt, aguntque præ se, Threi-
cij canes. Pars impudicis venditur Thracibus: pars Taurica-
nos, cogitur sequi scythas: cæteri, quibus, pulchrum est, in
armis, mori, dant corpora neci: alij versa terga, turpi & bar-
baro hosti iam nobis domesticis, probrosas leges laturo con-
cedunt. O æterna labes, & irreparabile damnum! ô fata!
ô tempora! ô crudelem Martem! Ergone his, tantisque ia-
ctata malis, tamqve continuo, illoque aduerso Marte pres-
sa Polonia desperabis? minimè sentias sane infensum, tibi, bel-
li Deum. *Sæpè premente Deo, fert Deus alter opem: Mulciber in
Troiam, pro Troia stabat Apollo. Æqua Venus Teucris, Pal-
las iniqua fuit.* Oderat Eneam, magis amore, proseqvens
Turnum, Saturnia Iuno: adfuit illi præsto tutellare Veneris
Numen. Sæpè ferox Neptunus, Spumis tumens, prudentem
Vlyssem, occinente Syrenum cantu, profundis voluit absor-
beri aquis; hunc tamen defendit & *eripuit patruo Sæpè Mi-
nerva suo.* Adest & tibi, amica quouis sinistro, aduersoq; Mar-
te, tot victricibus laureis redimita, Iageloniana Pallas, &
cùm benè noverit maximè horrendum Orbis monstrum,
immanem, triumfaucium Chimæram, integritati Tuæ, re-
busque strages minitantem; en in Subsidium legionum tua-
rum, castum Bellerophontem, Virum innocentiæ, rectæque
Sapientiæ scuto armatum, D. IOANNEM CANTIVM, in
ipsam debellandam expedit. Amans ille, Patriæ filius, quò
Regni necessitas vocat, promptus alacrisque hodie adest;
rem nostram cadentẽ sublevare: res felices reddere: calami-
tatibus subuenire: publicam vincere fortunam, præstareque
miseris novum fatum promittit. Procede ergo, magnanime
heros: probatissime, Chimæræ domitor. Te vnum Turcis
belluæque isti fatalem loquimur; cùmque bene sciveris, mè
extra Heliconem, iam aliquot annos manere, Vngulâ Pega-


si Tui

ſi Tui, in hoc ſubmontano Saxo, non iam Boëciæ, ſed Beciæ; vnde in Tuas laudes, copioſius flumen haurire poſſim, novam mihi Hypocrenem elice. Spectabis O. A. congredientem cum hoc teterrimo monſtro, tamdiu; quamdiu, triumphale Io, vnà mecum, non occines.

Cruento Marte, rigidoque eius certamine, parta Victoria: digna triumphi portio, dignior maiorque ſilenti armorum ſtrepitu, clauſoque in Vagina enſe. Etiam quippe, imites feræ, Sanguinem, confligendo, fundere norunt; non cruentare terram, & metere laurum, hoc notandum, hoc probandum. Cæſo, deletoque æmulo, tripudiare; commune belluarum: parcendo Vincere, non premendo reprimere, novos, abſque ſanguine ducere triumphos, novum prodigium. Hanc normam Vincendi, didicit, ſuoſque edocuit coronata laureis Pallas: ſub eius Vexillo, non cruentæ acies: non diræ cædes: imite prælium procul; Victoriæ tamen, immarceſcibiles palmæ: comulatim percipiuntur. Diſplicet illi pollutus ſanguine mundus: armorum gloria, ex Regnorum euerſione, illi ingloria: trophæorum Magnificentia, ex gentium clade, non Magnifica. Siccis nonniſi gaudet adoreis: humidas, madidaſque ſanguine laureas, diræ Cereri auarâ falce metendas reliquit. Nec tamen Martia pectora, Regnis magis prodeſſe poſſunt; quàm ægide Palladiâ coruſcans Senatus. Quid cataphractus Achilles; ſi non ſcuto Mineruæ armatus! Spatioſus, in ſua latitudine Briareus, in voces, & iugera ſe extendit; vt ipſum proprium partum natura exhorreſcat, quoties vacuus Mineruâ; ſolo Marte in Iouem audax. Nempe Palladis, vel ſolius præſidente Maieſtate, Sceptra fulgent: diademata, auguſtis capitibus firmiter inhærent: faſces etiam turbante Gradiuo, ſecurè manum implent. Natant veró, fluctuantque ariſtæ, vbi ſteterunt pergama, euntque fatis malevolis, in ruinam etiam munitiſſima Ilia, quoties Hectori, eiuſque Imperio inimica Pallas. Atque nos Gens Lechica, maximis diffundi gaudijs, & in lætiſſimos applauſus, abire iure poſſumus, cùm Deam hanc, nobis amicam certò certiùs experimur. Trabeatum hoc, Regni Noſtri ſolium

lium

lium, augustumqve eius Sceptri decus, in tristes tumulos, etiam violentissima fata, nativo suo pondere, trudere non possunt: nulla nigra silentia, & altæ oblivio gloriæ, invida posteritati, ruderibus sepelire. Efferveat Bellonæ furor, lethali rabie certans pertinax, in insolentem ludum ludere nata, sævo læta negotio, nunc nobis, nunc alijs benigna, ad alios transferre coronam intentet; totum hoc, ictu suo eludet semper Victrix fortunæ sapientia. Est est Iageloniana Pallas, fulcrum Orbis Poloni: dum ita eius indolem, Virtutibus, disciplinisqve instruit; ut alios ad astra, alios ad castra: hos ad admirationem, illos ad venerationem, cultumqve producat, promoveatqve, At qvorsum sui, immemor abripitur Oratio? quid in solius Palladis laudes involat nimiùm audax penna? Non error est, in hoc amæno diverticulo spatiari. Neq; enim hic locus, CANTIANIS laudibus, omnino vacvus. Qvidqvid vel voce efferi, vel mente concipi in laudes Academicæ Palladis potest; totum hoc CANTII est; si illa, absqve sangvine triumphat: & hic cruenta non erigit trophæa, nec Iovem Capitolinum sangvineis negotijs gravat. Si hæc, fulcrum Orbis Poloni; ille Athlas: si illa Medusæ, monstrorumqve victrix; hic longè terribilissimæ trifaucis Chimæræ Victor novus Bellerophon. Firmum huius, prænuntiumque, teste Luciná, adhuc in cunis documentum fuit; in qvibus sævum, Sacro lauacri Baptismate angvem, alter Hercules postqvam eliserit; statim tanqvam ad maiora, natus, in hanc Chimæram irruit, furibundam. Sed putasnè hoc, imbelle, facilèqve veniam, ploraturum animal? qvod est tremendissimum, Orbis Monstrum, flammas, instar Æthnæ evomens, medijs in partibus hircum, pectus & ora Leonis, caudam serpentis, Vel vt alij volunt Draconis habens. Si Leo eius rugiet, nonné pavebis? si Draco attollet caudam, quâ tertiam partem stellarum traxit, nonné tremes? si hircus, fætidam carnem olens, suum tibi propinabit sangvinem; nonné etiamsi adamas fueris, rumperis?

 peris?

peris? Ait CANTIVS. &Leo fit, aliquando minimarum avium, pabulum. Imbellem hircum, mos est, mactare colonos. Draconem, in Hesperidum hortis, inermis novit sopire lyra. Siste gradum iuvenis! non est tuarum Virium hoc certamen; in qvo, tot validi, robustique Achiles, fracti ceciderunt. Ceciderunt, (inquit) Sauli, vt resurgerent Pauli. Non ergo illum, amor Parentum: non Catonis supercilium: non atrox belluæ forma, visq; deterruit, nec fulminantis, magna Iovis, manus, si fractus, illabatur Orbis, impavidum ferient ruinæ. Armeris ergo: saltem scutum, galeamqve indue: pete tibi à Vulcano umbonem. Qvid ad hæc? Integer vitæ, nullâqve pallescens culpâ: nullis, Mauri iaculis: nullis venenatis pharetris eget; sive per procellosas syrtes: per Saxa Maleæ, & inhospita Tauri culmina, facturus iter. incorrupta fides; nudaque veritas, ipsa sibi firmissimum scutum. Immemor ergo sui, prodigus vitæ, si opus fuerit: memor gloriæ, atqve æternæ Patriæ, omni impetu, bestiam hanc aggreditur. Ascendit Iagelonianum Pegasum; cuius Vngulâ, seu veriùs liberalitate, Hypocrene immensas scientiarum dedit aqvas; novus sesor in præliatrici Studiorum arena, non ad Vanam ostentationem, otiosum circulũ; sed ad metam glòriæ, omnisqvè honesti, cum hasta Mineruæ, rectum iter ducit. Qvoties cursum currit; toties primus ad coronam. Aliorum desides eqvi, calcaribus, Vrgendi erant; eius Velocissimus alliger, fræno cohiberi debebat. Non eguit, Magistra Virtus eius, Monitore; ipsa tacitis exhortationibus, ne gradum remoraretur ad metam gloriosi propositi, sese stimulabat. Et licet Pagasus eius, Solaribus eqvis, ad bònum velocior; nunqvam tamen, in tam celeri cursu, cecidit ita; vt sublevari expeteret: Collapsæ, tantùm animæ, & quæ, terræ inhæserunt erigendæ; veluti imbelles, absque vlmo vites, nonnisi serpere possunt; laurus & palma adhuc in trunco triũphat, dum vertice alijs antecellit. Tantæ ergo virtutis, tantæ felicitatis, semper honesti metam tangens heros, in feraci Laurearum

arena

arena, laureâ donatur Apollinari; vtque ipſe, theſſeram, mo. dumque ad certamen, alijs præbeat, Decanali induitur paludamento: nihil novum, inuſitatumque accipiens: nec novus, honori iſti hoſpes accedens: nec perſonam, niſi titulum mutans. Docet ergo in literario ludo curſum: alios cadentes in rationibus, ſublevat: alijs claudicantibus, ſua promptitudine ſuccurrit; Theopompos frænat, Ephoros calcari vrget: omnibus, ad vnam metam, rationem, modumque oſtendit. His tantiſqve bonis, ſupra cæteros, auctus, hocque tam bene exercitato, in acie Palladis, Pegaſo, ad mille pericula promptus, Draconem debellandum primò aggreditur. *Sed quis huic beſtiæ ſimilis? & quis poteſt pugnare cum ea? cui datum eſt prælium facere cum ſanctis, & vincere eos?* poteſt IOANNES CANTIVS, tot gratiarum nomen hoc, ex ipſa prolatione, illi terribile; qvem, adhuc, in utero, per ſanctificationem debellavit. Atque vt magna corpora, qvò ipſa non attingunt, Vmbram tamen porrigunt; ſic huius nominis magnitudo, à longè etiam, inferorum poteſtati, horrenda tremendaque eſt. Iam verò, eius candidâ, purâque niue purior innocentia, profunda humilitas, cur non, contra hanc ſuperbam beſtiam prævaleat? hæc vel ſola inimicum gratiæ, omniſqve peccati Initium, ſuperbiam debellat; qvam ſemel pertæſus Dominus, ſemper odit; parvulis autem, altaque contemnentibus dat gratiam ſuam. Qvòd ſi eius humilem ſenſum experiri iubes, diſce illum, in omni verbo eius: in omni geſtu; qvo, neminem moleſtus læſit, ad verba aſpera, etiam ludibrijs provocatus non exarſit. qvæ, ſi avdivit, libenter tulit. Innocentia verò, ſi eſt ex Romano Oratore, puritas animi omnem iniuriæ illationem abhorrens, CANTIANA eſt. ſi triumphus eius non peccare, vbi liceat, Io triumphale debetur CANTIO, ſic triumphavit. Non in qvemqvam, Verbum moleſtum, & ſi poterat, emiſit: non lingvam effrenavit, ſed frænavit, afflictionem conſolans illis:

 Contur-

*Conturbare cave; non est placare, suäue:*
*Diffamare cave; nam revocare grave.*

Assurgit tamen, immanis hæc bestia, semper circuiens, qvem devoret, etiam in CANTIVM. Sed frustra assurgis. illa ipsa *Mulier amicta sole*; qvæ semel IOANNEM sub Cruce, in Filium accepit, ipsa non dubito *conteret caput tuum*. Audax tamen, hisqve minùs terrefacta bellua, hæc tentare non desinit. Assumit mille formarum, discolorisque vsus ille infernalis Vertumnus, hirundinis speciem, huc & illuc pervolans, strepitu alarum, celebrantem protunc impedit. sed non distrahit. Qvid hæc eius præsumptio? Aper, clauam Herculis momordit, & in ipsa audacia perijt? sic Draco hic, mendacis plumæ hirundo, Sanctis manibus arrepta, ad terram percussa, audaciæ suæ, & inconsultæ pietatis luit pænas. Atqve sic gloriosè debellato, prostratoqve Stygio Dracone, alteram in medio, partem, hircum aggreditur Hircus, fætidæ carnis, impuræ Cypriæ repræsentativum. Dat vim roburque huic meæ intentioni illud Pòëtæ effatum. *Est eruca salax*, indexqve libidinis hircus. Qvid ergo CANTIVS, qva arte, vt eum vincat vtitur? nempe istâ:

*Compedibus Venerem vînclis constringe Lyæum;*
*Ne ipsum muneribus, lædat vterq; suis:*

Nullum, liberæ suæ voluntatis, Diva illa potens Cypri Regnum: nulla castra, apud illum, Cupido posuit. Castra enim eius, sine Cerere, & Baccho nullibi subsistere possunt. At apud CANTIVM, in exilio Ceres, in carcere Bacchus: ambo non sui iuris, ambo alimenta: fomentaque suppeditare non poterant. Si qværis, qvis victus eius? panis fame durior cinere conspersus potus eius lachrymæ *Cæcubum* & *prælo domitam caleno* nunqvam gustavit vivam. Non Falernæ vites: non Formiani colles: non ipsum qvoqve vile Sabinum; sed aqva, in poculis exuberabat: tota mensa, ieiunium, cupediæ, fames: lectulus & Viridaria eius spinæ. omnia denique ad nauseam naturæ, sed ad amorem gratiæ. Vnde vidisses CANTII Vul-

tum

tum, nunqvam Serenitatis, nisi Diuina speculando, semper mæroris, & tristitiæ, super mundanis, characteres portantem. genas, sangvine exsiccatas: membra, Vegetatione, nativoqve calore destituta: totum corpus, flagellis, ieiunijs, laboribus fractum, debilitatum, extenuatum vidisses. Ita ad hunc vincendum fætidum, grauèque olentem hircum processit. elegit famem, in mundo cum hædo; vt cum immaculato Agno, cælestes epulas, sapidissima æternæ Vitæ fercula gustare, sumereqve mereretur. O heluantes in dapibus suis Caligulæ! ô excessivæ, in gemmeo luxu Cleopatræ! o detestanda Vitelliorum pocula, æternâqve ignominiâ damnanda, O comedones, quorum sapientia in ventre, Minerva sine cibo friget! erubescite hic, dum ecce abstemium CANTII corpus, quò magis deprimitur, eò magis, ad capienda quæque cælestia sublevatur. Vigor animi eius, in tam continenti corpore non obtorpuit. fames illa ita exacuit mentem eius; vt cùm cætera, tum sacra illa Mathæi Euangelia, iam vix quatuor digitis, à morte distans: quia septuagenarius, qvasi cygnus, qui quò propior morti, eò pulchriùs canit, lucidâ facilitate, apertâ subtilitate, rebusque refertâ, illustrare capax esset: iam ergo ô BEATE CANTI, binas Chimæræ vicisti partes: adhuc Tibi caput debellandum restat. Nec caput imbellis alicuius bestiæ; sed potentissimi animalium Regis, circa ipsum, vndique eminentiæ, potentiæ census, honores: in stabulo eius, onustus aurô asellus, in triclinio, fulgurantes gemmis parietes: bonorum eius, Cræsus dispensator, Mydas famulus: ambo servi. Quæ, ergo bella, putatis, movit? quibus armis vsus est? contemptum divitiarum: detestationem honorum opposuit. Mittit, ad eum mundus, obtorto collo vinctam fortunam, fidelitatem, constantiam, obsequium, eius virtuti promittit. Respondet. Non me iuvant Regna, non - - - *lydius aurifer amnis.*

*Nec quas, terrarum, sustinet Orbis, opes.*
*Hæc alij capiant, liceat mihi paupere cultu:*



& Vita

Vitâ beatâ frui. Diffuge immunde Munde, fallax, quæ offers: affluunt ſubitò, repentè dilabuntur: in plauſibus incipiunt, in gemitibus deſinunt: nulli perſonæ fida, certaq́; huc & illuc acta, qvos in ſublime extulerunt; Vel ideò, vt graviore lapſu, in profundo cladium, miſerabiliter deſtitutos immergerent. Sprevit itaque deſeruitq́; omnia magnifica, læta fluxu, triſtia refluxu: divitiarum contemptor, glorioſiſſimus transfuga. Fugit perſequentem, cæcam hanc, ſtultorum Deam ſapientiſſimus, vſque ad ſacram illam, Hieroſolymæ ſedem; ibi Veriorem theſaurum in cruce Chriſti inventurus. Abit Romam, Vndique per viam, etiam latronibus, vltrò aurum offert; vt aureo, animarum illarum; qvas hac ſua ſanctitate in ſortem DEI traxit, lucro; Regnum cælorum comparare poſſit: domi, vel maximè clementiſſimus pauperum Pater. Nempè, quidquid CANTIVS, de Mundo habuit, diſperſit, erogavit pauperibus. Nouerat illud qvod

*Tum furit horribilis pardus, tygrisq́ leoq́;*
*Cum caveæ incluſos arcta repente tenet.*
*Sic etiam nunquam, furit aurum immanius arcâ*
*Qvàm cùm illud Dominus claudere parcus amat:*

Qvid ergo facit? nè ipſum crudelis hæc fera feriat, lethalique vulnere ſauciet. *Quæ quo plus clauſa eſt, plùs feritatis habet:* Solvit illam, in liberumque ſpatiandi campum dimittit, paſcens, quos, aſpera vexat egeſtas. *Protinus hac mitis, redditur arte fera:* ſicque glorioſè debellatur. O triumphatorem! ô novum Chimæræ domitorem! vbi robuſti Alcidæ, fortes Samſones: triumphat, hic ille victor, novus Bellerophon: immanis Draco, fætidus hircus, potentiſſimus Leo, tota Chimæra, ſub vindice, eius planta gemit. Aſſurgunt illi triumphales arcus: excelſæ pyramides, non iam eboris nive albicantes, non gemmarum fulgoribus radiantes; ſed ſuarum virtutum cimelijs coronatæ. Ipſa illi virtus pretium: ſpolia terrarum, ab aureis venis emendicata turpis egeſtas. Accen-

dunt

dunt illi diem immortalitatis, non Metallorum fulgor, ſed factorum radij, & virtutis fax, oblivionis nigram noctem diſpellens. Acclamat illi, Eccleſia: terra applaudit: Cælum ipſum, qvod ille violētus expugnavit, rapuitque, ſuis eum adoreis coronat. Ergonè ſuperba trifaux Orientis Bellua, trium partium mundi, iniqviſſima Domina, Othomanica Chimæra, ampliùs triumphare ſperas? Ergonè ſpurciſſimum os, rabidaſque Tuas fauces, nos devoraturas arbitraris! Contremiſce certè contremiſce, ad hanc novi Bellerophontis manum; qvæ fortitudinem Tuam, in virtute DEI conterere poteſt. Qvod David ad Philiſtæum; hoc CANTII nomine ad Te peroro. Tu venis ad me cũ gladio, & haſta, & clypeo; ego autem ad te venio in Nomine Domini Exercituum, & dabit te Dominus in manũ meã. Exiguam hanc Militis Poloni manum ne contemnas. Virtute apud nos certant, non numero Viri, & protectione ſanctorum. Nec in populo multo, ſed cùm levaret manus, Moyſes, vincebat Iſrael. Qvòd ſi turba multitudoque noſtrûm reqvireretur, poteſt CANTIVS, his oſſibus; qvæ iam in pugna tecum ceciderunt, vt reſurgant, imperare: qui tot, è loco Vmbrarum mortiſque reſuſcitavit. Manus transfixæ globis, iterum ad arma, eo medente valebunt. Tyras nobis, cæterique effuſiſſimi fluvij etiam demerſis vitam adimere non poſſunt; cùm tot vitâ abſorpti, eo intercedente, iterum ad illam redierunt. Aqva ipſa tibi Venenum: nobis, cùm CANTIVS voluerit, etiam, cum violentia naturæ, vt olim propter ancillam, in dulciſſimum lac commutabitur. Sed qvid hæc narro? Vnus hic; contra qvem, nec portæ inferi prævaluerunt, ſolus vincere, debellareqve poteſt IOANNES. Caſtra ex hac una voce caſta procurrere, acies prodire videntur. Non ſe iactet Annibal, Romanorum oculis terribilis; qvod vnum eius brachium mille dabat manus, gladius, arma legionis effingebat; ille autem ipſe vnus equo inſidens, totus exercitus videbatur; veriùs hic Noſter Academico Pegaſo inſidens Bellero-

 phon

phon, se vno multiplex, & mille simul dextræ, densus micare ensis, & innumeræ, possunt: in casside eius, cristæ refulgere. Euge, ergo Polonia, erige animum, solve crepitaculum raucum, & triumphale Io occine; qvòd tantum victorem, Protectoremqve habeas. Tu verò, orbis Poloni delicium, annosa Mater mea Alma Vniversitas, tanto Filio lætare. Bellerophon hic, qvòd contra tam flãmivomam Chimæram processerit, Tu effecisti. Tuus Pegasus: Tua disciplina, Tua proinde elogia, Tuæ Panegyres. Applaudit Tibi rea gratitudinis inculta Oratio mea, bene tamen vestita, debiti vectigalis cultu promptitudo: gaude, fruereqve tanto bono longæuè fortunata: sit indesinens Heliconiani fontis Tui promotor: Patriæ propugnator: Othomanicæ semper Chimæræ domitor

BELLEROPHON.